



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

27. Mortificatio voluntatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

*Aspirationes.*

I. Deus meus: *Da mihi intellectum, & vivam.* Psal. 118.

II. Da mihi, Domine, ut videam & cognoscam, quæ oportet: *Culpa enim nox, mentis nostra oculum obscuritate perculit: & cum ad superna lucis radium, aciem mentis erigimus, ipsâ infirmitatis nostra obscuritate caligamus.* S. Gregor. 4. moral. c. 22.

III. Deus, qui intellectum das parvulis, da, ut intellectus defectus intelligam atque emendem.

## PASSUS XXVII.

Mortificatio propriæ Voluntatis.

## TEXTUS.

*A voluntate tua avertere.* Eccli. c. 18. 30.

*Cognitio.*

**V**oluntas propria dicitur, quæ ita est nostra, ut in eo, quod volumus, non sit  
fit

fit Deo, proximisque communis. S. Bernard. serm. 3. de resurr. Ut si velis dormire, aut vigilare, eo tempore, quò non est secundum voluntatem Divinam & Superiorum. Atque hæc voluntas strenuè est mortificanda in omnibus, internis & externis, temporalibus & spiritualibus; ita ut nihil propter nos ipsos, aut propter voluntatem nostram explendam cupiamus, vel faciamus. Ac proinde observanda sequentia:

1. Mala non sunt facienda, neque magna, neque parva.
2. Bona facienda sunt, non propter nos, sed propter Deum.
3. Opera studiosè peragenda sunt; sed ita, ut ea relinquere, aut cum aliis permutare, si juberet obedientia, parati simus.
4. Bonum commune communitatis, propriis commodis nostris præferendum est.
5. Ad vincendam voluntatem propriam; eligendum potius est, subesse, quàm præesse.

### Consideratio.

O quis innumera propriæ voluntatis detrimenta animo volvens, eam non penitus suppressere allaboret. Nam I. *Voluntas propria est inimica DEO.* *Propria voluntas*

DEO *semper inimicatur*, ait S. Laurentius Justinianus de discipl. c. 7. *dominari toto posse conatur, rationis iudicium extorquet, suo id faciens arbitrio militare.* II. Est inimica Superioribus; pergit enim l. c. idem sanctus Patriarcha: *Non maioribus acquiescit, non reueretur, non obtemperat, nulli subesse potest; nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur.* III. Est inimica sibi & proximis; Illa enim *semper procax est, effrœnata in locutione, incomposita in moribus, inordinata in affectionibus, ignara sui, & à proximi dilectionis aliena.* O malum detestabile! O antiqua nequitia, quantum dominaris! Per te Angelorum ruina facta est: per te Adam innocentia stolâ orbatuſ est: tu amicitiarum iura violas; tu conjugum divortia facis, tu bellorum discordias generas, tu pacem fugas, tu cunctum perturbas Orbem, & plurimis replet flagitiis: tu infernum ditas, & gehennalibus flammis fomentum subministras. Idem l. c.

Petitio.

Exue me, Domine, voluntate propriâ, tot malorum radice; ut sanctam voluntatem tuam in terra; sicut Angeli in cælo, perfectè adimpleam.

Aspi-

*Aspirationes.*

I. *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.*  
Lucæ c. 22.

II. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* S. Bernard.

III. *Da mihi, Domine, in cunctis propriam meam voluntatem abnegare; ut tuam sequar in omnibus.*

## CLAUSULA VIÆ PURGATIVÆ.

**L**Ector benevole, antedicti Viæ Purgativæ passus ob oculos tibi ponunt, lolia & zizania, examinis particularis runcinâ excindenda; ut impleas illud Jeremiæ c. 1. *Constitui te hodie, ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes*, nimirum peccata, vitia, passiones, pravas inclinationes & consuetudines; Hoc autem utcunque peracto, alteram perfectionis viam ingredi, *ut aedifices & plantes; aedifices domum perfectionis, & plantes germina, floresque virtutum: de quibus in viis sequentibus agemus.*

